

ut probat Gobatus d. tract. 7. à num. 248. & seqq. ubi hujusmodi casum examinat.

Sextus Casus (& quidem difficilis apud antiquos Theologos, ob eorum varias opiniones) est, quando quis confitetur, & habet peccata non reservata, ac simul peccata reservata; dicebant enim DD. vetusti, quòd si confessio fiebat coram Superiore, poterat hic audire tantum reservata, & absolvere peccata non reservata, remittendo illum ad Confessarium inferiorem pro Confessione, & absolutione à non reservatis. E contra si peccata non reservata ad Confessarium inferiorem non habentem facultatem absolviendi à reservatis, poterat audire non reservata, & absolvere, remittendo peccata non reservata ad Superiorem pro reservatis. Ita Navarrus de Pœnit. disp. 5. cap. Consider. S. Cautus. num. 12. & 13. Sotus dist. 18. q. 2. art. 5. Cajetanus Verb. Confessio condit. 10. Sà Verb. Absolutio num. 24. Valentianus tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1. S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 6. & alii allegati à Bonacina tom. 1. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. num. 1. & n. 5. & sic in utroque casu concedebant, fieri posse Confessionem validam absque integritate; quamvis postea iidem Auctores, & alii coetanei discordarent circa modum, quia illi dicebant, quòd inferior tenebatur audire etiam reservata, et si ab eis non posset absolvi, prout etiam quòd Superior antequam absolveret à reservatis, debebat sentire peccata non reservata, alii hæc negabant, & alii alia, ut refert Eminens. Card. de Lauræa d. disp. 12. art. 8. num. 173.

Hodie casus iste facilis factus est, & resolvitur, rejectis antiquorum opinionibus, sub hac distinctione. Extra grave periculum vite, famæ, vel scandali, nullus inferior potest absolvere à non reservatis, remittendo peccata non reservata ad Superiorem pro reservatis; nec ullus Superior potest absolvere à reservatis, nisi audiat, & absolvat etiam à non reservatis, & sic neutro modo licita est dimidiatio Confessionis; & in utroque integritas Confessionis est servanda. Bonacina d. §. 3. num. 1. & num. 5. ubi plurimos DD. neotericos ita sentientes cumulat. Tamburinus De expedita Confess. lib. 2. cap. 10. §. 1. num. 26. & 27. ubi ita loquitur: In hisce eventibus, vel Superior audiat omnia, & absolvat: vel audiens reservata extra Confessionem tollat reservationem, seu mittat ad inferiorem, cui conferat facultatem absolviendi à reservatis. Si vero sit inferior, ne absolvat, sed mittat peccata non reservata ad Superiorem, vel ipse adeat, imperetque potestatem, & tum demum rite absolvat, idem docet, & confirmat Emin. Card. de Lauræa de Sacram. Pœnit. disp. 10. art. 12. n. 381. & seqq. ubi n. 391. addit quòd Romæ cum aditur Superior ob absolutionem à reservatis, vel omnia peccata peccata non reservata audit, & absolvit, vel delegat facultatem. Et ita ego semper servavi in hoc Episcopatu Patavino, per annos triginta, & ultra, in quo sanctæ memoriæ Eminentiissimi, ac Reverendissimi D.D. Cardinalis Barbadii Episcopi fungebar Auditoris, ac deinde Vicarii Generalis munere, cum facultate approbandi Confessarios omnes, iisque concedendi licentiam absolviendi à reservatis; vel ipsos peccata non reservata ad me accedentes liberandi.

Porro ubi grave periculum emergat vite, famæ, vel scandali ipsius Peccantis, qui non possit tunc accedere ad Superiorem pro reservatis potest inferior eum à non reservatis, absolvere, & ad Communionem admittere; remittendo eum, quamprimum poterit, ad Superiorem pro reservatis. Ita Suarez de Pœnit. disp. 31. sect. 2. Reginaldus lib. 8. num. 85. Bonacina d. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 3. num. 5. Verf. Dixi in propositione, præcisâ necessitate. Gobatus tract. 7. num. 378. & seqq. novissimè Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. num. 397. Qui omnes in tali casu extendunt inferioris facultatem, quam

vis habens reservata peccata irretitur esset etiam ex communicatione reservata Superiori per text. in cap. Ea noscitur. De Sent. Excomm. & hoc expressè probat idem Emin. Card. de Lauræa ead. disp. 19. n. 419.

Cæterum his diditis obstat videtur Concilium Trident. sess. 14. de Consum. reservatione cap. 7. ubi ait: quòd extra mortis articulum Sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis. Ulterius refertur Decretum Sacre Congregationis diei 9. Januarii 1601. iussu Clementis VIII. promulgatum, quòd legitur apud Laurentium de Franchis De controvers. inter Episcop. ac Regul. part. 1. num. 1458. in quo adèd præcisè ablatum est omnibus inferioribus facultas absolviendi à reservatis, ut nullo casu etiam necessitatis, vel impediamenti, nisi in mortis articulo, ea uti valeant.

Respondent DD. non violari Decretum Concilii, vel Clementis VIII. in casu gravis periculi supraconsiderati, quia in eo inferior non absolvit directè à reservatis, vel à censura; itaut peccatis non teneatur amplius se præsentare Superiori pro absolutione; sed indirectè tantum, cum obligatione se præsentandi Superiori, sicut quando absolutus remanet à reservatis oblitus qui confessus est non reservata. Concilium enim, & Decretum Clementinum loquuntur de absolutione directâ, & absoluta asserente obligationem comparandi coram Superiore. Ita Bonacina d. §. 3. sub num. 6. Verf. Respondo, & Pasqualigus in Addit. ad d. Laurent. de Franchis d. part. 1. num. 1468. in fine. At Eminentiiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 19. art. 12. à num. 402. & seqq. respondet, quòd periculum vite, aut famæ, aut scandali peccantis non concedit inferiori Confessario potestatem eum absolviendi à reservatis, sed tantummodò, ut licite, & validè possit eum absolvere à non reservatis; & quòd legitima sit absolutio quamvis dimidiata; prout legitima est Confessio dimidiata, & sine integritate ob idem periculum, ut demonstratum est supra in casu quarto. Ideò remanet obligatus peccans, quamprimum possit, accedere ad Superiorem pro absolutione à reservatis, & interim à Deo delentur peccata reservata, non per absolutionem, quam dat inferior ipsi peccanti, sed per actum contritionis, quem ipse peccans facit in actu Confessionis coram inferiore, dum se accusat de non reservatis, ac de reservatis; ad quem actum eliciendum Confessarius debet peccitentem excitare, ut plenè infundatur gratia, et si dimidiatur absolutio. Ita Eminentiiff. Cardin. de Lauræa de Pœnit. disp. 12. num. 184. quòd quidem in praxi est valde observandum. Petenti autem quantum debeat esse periculum vite, famæ, vel scandali, ut peccans habens reservata, vel censuras, possit ab inferiori absolvi à non reservatis? Respondet prædicta Eminentiiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 19. num. 401. quòd debet esse tale, quale requiritur ad dispensandum in integritate Confessionis, ut peccans possit tacere aliquòd mortale; videlicet non quid leve, sed notabilis præjudicii, & gravis damni; et si hæc gravitas non sit strictè accipienda sed cum honesta latitudine, quia agitur de favore animarum. Pasqualigus d. part. 1. num. 1454. in fin.

Septimus Casus erat, posse dimidiari Confessionem, & non servari integritatem ejus in dieallicuius magnæ solemnitatis, ac indulgentiæ; in quo sic multa messis peccantium, operarii autem pauci; itaut si audiantur integræ Confessiones omnium peccantium impossibile sit, omnes concurrentes confiteri, & ideò ne multi discedant desolati, & absque Confessione, ac Communionem, licere, & auditis duobus, vel tribus peccatis, eos absolvere, & sic dimidiare Confessionem. Ita Marchantius in Tribun. tom. 1. tract. 2. tit. 7. q. 2. & Gobat. d. tract. 6. n. 479. Dixi, quòd hic casus erat; siquidem hodie non est; cum talis opinio sit damnata ab Innocentio

Papa

Papa XI. die 2. Martii 1679. Proposit. 59. & jure quidem, nam divinum præceptum de integritate in Confessione servanda præponderare debet devotioni privatæ consuetudine, non habentis obligationem præcisam ea die constandi, ac communicandi; quòd si accedant in die magni concursus penitentes, facturi longas Confessiones, debet Confessarius eos licentiarè, ad tempusque magis commodum remittere, ne injuria irrogetur Sacramento, ut bene & 2. qui subinde cap. 3. ait, damnatam propositionem comprehendere etiam asserentes, posse dimidiari confessionem, ubi timor sit, quòd peccator, si non communitur; his enim respectibus non obstantibus, integritas est in Confessione servanda; quod notent Parochi, alique Confessarii, in majoribus festivitibus Confessiones consuetudinæ populorum excipientes.

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

Agitur de necessaria numerica specificatione culparum. Præmittitur artis Arithmeticæ, ac numerorum origo, usus, & utilitas; ac eorumdem à primo usque ad Decimum laudes, atque excellentiæ, tum Sacris, tum Profanis eruditionibus; quas inter habetur Regula cognoscendi Anni Bisextilis, & Aurei Numeri reperiendi. Traditur, quando opus sit exprimere numerum certum malorum actuum tam interiorum, quam exteriorum, & quando sufficiat incertum cum particula Circiter, Plus, minusve? Meretricis, ac habituari peccatorum quomodo constentur? Concluditur peccata dubia semper esse contentanda?

SUMMARIUM.

- 1 Arithmetica undè dida?
- 2 Numeri Etymologia, & quis Artis numerandi Auctor?
- 3 Numerorum liber cur sic à Moysè vocatus?
- 4 Arithmetica necessitas, ac utilitas.
- 5 Numeri definitio. Et qui numeri Græcorum, & Hebræorum?
- 6 Anni Bisextilis cognoscendi Regula.
- 7 Numerorum genera quatuor.
- 8 Numeri primi excellentia, & aliorum usque ad Decimum.
- 9 Observarum in Officio Divino quatuor differentia.
- 10 Aureus numerus quid sit? Quomodo reperitur?
- 11 Numerus omnium peccatorum in Confessione explicandus.
- 12 Interi actus mali quomodo sint plura numero peccata?
- 13 Actiones peccaminose complete in se sunt plura numero peccata, et si connexa, & ex eadem voluntate peccati.
- 14 Actiones male, et si plures, quando sint unum tantum numero peccatum?
- 15 Confessarius in peccato, audiens plurium Confessiones, plura committit peccata.
- 16 Circiter, plusve minus, quando suppleant verum numerum culpæ?
- 17 Arbitrium boni viri quomodo regulandum circa clausulam Circiter?
- 18 Dubia peccata an contentanda?

Prima itaque conditio integræ Confessionis Sacramentalis est, ut omnia peccata manifestentur per peccitentem quòd ad eorum numerum. Ad ornatum hujus conditionis ne pigeat Lectorem observare sequentes eruditiones circa numerum, ar-

temque numericam, quam Philosophi Arithmetici appellant; eò quia numerus à Græcis Arithmos vocatur, ut ait Tholofanus in Syntaxi artis mirab. lib. 15. cap. 1. Numerus secundum aliquos trahit etymologiam à nummis, cum enim pecunia numeretur, ab illis, autantur, numerum esse sortitum nomen, ut notat P. Hieronymus Vitalius Clericus Regularis in suo eruditissimo, ac recentissimo Lexico Mathematico. Verb. Numerus. num. 27. Sed hoc non placet Hortomano De Re Numaria cap. 6. quem citat Vossius in Etymol. Ling. Lat. Verb. Numeri; siquidem antequam reperitur pecunia numerata, & commercia rerum fierent per æs, & libram, ac pecunia daretur ad pondus, reperi erant numeri, & ars numerandi, cujus inventricem facit Minervam Titus Livius lib. 7. alii Palamedem, alii Deam Nummiam, ut refert Serra in tractatu de Synonymis V. Numerus. At hi omnes falluntur; nam Deus ipse artis numerandi fuit Auctor, qui creavit omnia in Mensura, & numero, & Pondere. Sap. 11. 21. ut homines differant iustitiam commutatam, quæ præcipue consistit in tribus, in mensurando, in numerando, & in ponderando; dedique facultatem numerandi solis hominibus, teste Aristotele Problem. sect. 30. q. 5. & hæc habuit originem à principio Mundi, ubi Deus cepit numerare dies ab uno usque ad septimum, dum Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod pararat. Gen. 2. 2. Hinc etiam Moyses quartum librum Pentateuchi, quem scripsit, vocavit librum Numerorum, & quia in illo incipit à numeratione populi; & prosequitur numerare primogenitos, ac Levitas, nec non mansiones Hebræorum in deserto, ut observat Cornelius à Lapide in Proem. ejusd. libri. Igitur Numerorum inventio est antiquissima, & eorum usus per vetustus.

Arts numerandi necessaria est ad omnes scientias, & artes, ac omnibus personis, etiam rusticis, ad eum qui nesciunt scribere numeros, numerum super digitis, ut scribit Chassanæus in Catalogo Glor. Mundi part. 10. consil. 49. idcirco poete numerant pedes, ac syllabas in carminibus; Musici notas; Mathematici observant numeros in Geometria, & in Algebra; Astronomi in suis calculis stellarum, ac Medici in morbis curandis, attendentes diem quartam, septimam, ac quartam decimam, quod loculenter narrat idem P. Vitalius in d. Lexico Mathematico. V. Algebra. & V. Numerus; nec non Castellus in Lexico Medico ead. Verb. Numerus. Et nos diximus in Decisionibus de Sacrific. Missæ Decif. 39. n. 29. ubi Dies Criticos, ac Decretorios declaravimus. Definitor autem Numerus, ut sit Quantitas collecta ex unitatibus. Serra de Synonym. d. V. Numerus. Sive quòd sit Collectio unitatum. d. Vitalius V. Numerus. seu Multitudo ex unitatibus numericis aggregata. Tholof. in Synt. d. lib. 15. c. 1. ubi advertit variam fuisse formam numerorum apud antiquos secundum varietatem temporum, ac regionum; alii enim pro numeris faciebant notas, seu cifras, ut Arabes, & Aegyptii; alii utebantur calculis, ac lapillis, ut Thraces, ac Scitæ; alii litteris Alphabeti, nempe Græci, ac Hebræi, qui etiam nunc hoc observant, scribentes pro uno, Alpha, Aleph, pro duobus, Vita, Beth, pro tribus Gamma, Gimel; & sic de cæteris, ut videre est apud Gætherum in Grammat. Ling. Græc. & apud Emin. Card. Bellarminum in Instit. Lingue Hebræicæ part. 1. c. 1. nec non apud eundem Tholofanum d. part. 15. c. 2. ubi explicat utraque Alphabetata usque ad unum millionem. Hunc morem etiam Romani adhibebant, scribendi litteras pro numeris; quos postea receperunt, retentis paucis characteribus, qui adhuc sunt in usu, nempe V. pro quinque. X. pro decem. L. pro quinquaginta. C. pro centum. D. pro quingentis. M. pro mille, ut

F 4

osten-

ostendit Calepinus, & alii Onomastici ad easdem Literas Alphabeti

Dividitur Numerus in parem, ac in imparẽ. Par numerus ille est, cujus partes divise remaneant æquales; ut ex octo bis quatuor; ex quatuor bis duo; ex duobus bis unum; sunt enim semper pares. E contra ex undecim quinque cum dimidio, ex quinque duo cum dimidio, & sic de cæteris. Hic autem dicitur Lector regulam ad cognoscendum, an Annus sit Bifextilis; talis enim erit, si illum dividendo, ac subdividendo, numeri remaneant pares; non erit Bifextilis, si vel prima divisio, vel secunda det numeros impares. E. g. Annus centesimus habet pro medietate quinquaginta, & sic numerum parem. Quinquaginta subdivisa dat bis viginti quinque numeros pares. Ergo est Bifextilis. Anni nonagesimi noni medietas est 49. cum dimidio; ergo impar numerus; ergo non Bifextilis. Anni nonagesimi octavi medietas est 49. subdivisio 49. est 24. cum dimidio. Ergo numerus impar. Ergo non Bifextilis, & sic de cæteris.

Omnes autem numeri rediguntur sub quatuor generibus; primum genus est Monadicorum, & continet numeros ab uno usque ad decem; & hoc est mirabile in hæc arte numerandi, quod solis numeris decem exprimamus summas multiplices, ac pene infinitas quantitates. Secundum genus est Decadicorum, deducens numeros à decem usque ad centum. Tertium genus est Centadicorum incipiens à centum, & producens eos usque ad mille. Quartum genus est Milleadicorum, quod extendit numeros, ac numerationem usque in infinitum. Ita Chassanæus part. 12. confid. 37. & Thololan. in Syntaxi d. lib. 35. cap. 3. subdens, quod his quatuor generibus numerorum utitur ad summandum, ad subtrahendum, ad multiplicandum, & ad partiendum, seu dividendum; quæ sunt quatuor partes artis numericæ, quas omnis compulsa scire debet, & quas pueri docentur in scholis à magistris, & ego quoque didici, cum essem septennis.

Omnes autem numeri à primo usque ad decem habent propriam quamdam excellentiam, & dignitatem, quæ breviter est hic exponenda, antequam ad materiam Pœnitentiæ accedamus, & de peccatorum numero integrè manifestando differamus.

Primus numerus, qui Unum vocatur, præfulget ob excellentiam Unitatis; quæ non solum proficit corporibus, in quibus unitas humorum habetur, sed etiam Familiis, Universitatibus, ac Rebus publicis, in quibus viget unitas animorum; ut latè ratiocinatur Cicero lib. 2. Officior. At singulariter eminet Numerus Unus, quia denotat Dei Altissimi Unitatem, irrefragabilem Divinæ Essentiæ prærogativam; de qua ipse Deus testatus est, Exod. 20. 3. Non habebis Deos alienos coram me, & Moyses Deuter. 6. 4. Audi Israël. Dominus Deus unus, Deus unus est. Et Apostolus Paulus ad Ephes. 4. 5. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes. De qua Dei unitate plurimastationes reddidit S. Thomas in Summa contra Gentes lib. 1. cap. 42. probans, quod Deus est Unus.

Secundus numerus laudabilis, & commendatione dignus reputatur, quia continet paritatem, faciens duo; & ita demonstrat excellentiam humanæ societatis, quæ in duobus significatur. Hinc, creato Propolasse, ait Deus: Non est bonum hominem esse solam, faciamus ei adiutorium simile sibi, Genes. 2. 18. & fecit Evam sociam illi. Laudes autem dualitatis, idest Societatis humanæ, exaltantur ab Ecclesiaste his verbis: Melius est, duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis sue. Si unus existerit, ab altero fulcietur, &c. Eccles. 4. 9. Et confert illud Hebræorum adagium, Unus Vir, nullus Vir. Hinc ob commoditatem humanæ Societatis recepta sunt commercia, negotiationes ac contractus

inter gentes, ut demonstrat Scaccia De Commerciis. §. 1. quæst. 1. à num. 39.

Tertius Numeri non unica est laus; sed illa præcipua; quod Omne triennium est perfectum, quia ternarius numerus habet principium, medium, & finem, ut demonstrat Aristot. lib. 1. de Cælo cap. 1. text. 2. num. 4. & ibi P. Maurus in Comment. allegans dictum Pythagoræ; totum, & omnia consistere in tribus. Quare laudes ternarii Numeri prosequitur Chassanæus in Catalogo Glor. Mund. part. 12. confid. 17. dicens, quod ideo tria sunt præcepta Juris, Honestè vivere, alterum non lædere, ius suum cuique tribuere. Tres vitæ species; Activa, Contemplativa, ac Media. Tres modi principandi, Monarchicus, Aristocraticus, & Democraticus. Tres Psalmi, & tres Lectiones in tribus nocturnis Horarum Canonizarum. Tres adus Divini cultus, Adoratio, Sacrificium, & Hymni, & alia plura similia, quibus addi potest, quod de Jure debent Matres lactare filios per triennium. I. Nec solum C. de Patria potest. Narbona de Etate Ann. 3. quæst. 2. num. 6. Sed cæteris superius Numeri Ternarii elogium est, esse indicem Sanctissimæ Trinitatis, & Trium Divinarum Personarum; de quibus David Psalm. 66. 8. Benedictat nos Deus, Deus nosster, benedicat nos Deus. Cuius altissimi Mysterii veritatem nos docuit Salvator, dum ait Apostolus: Bentes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28. 19. Et ejusdem dilectus Discipulus Joannes scribens: Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt. 1. Joan. 5. 7. Sed neque obtrudendum os Mathematicis circa laudes Ternarii Numeri, dum commendant Triangularem figuram, de qua P. Vitalius in d. Lexicæ Mathematicæ Verb. Triangulus dicit: Ea inter omnes figuras Geometricas princeps est, cardo, ac terminus, a quo omnes profluunt, mensurantur, pendunt, & in quem ultimo resoluntur; quod prosequitur Clavius in Geometria præf. lib. 6. Proposit. 6. & seqq.

Quaternus numerus desinit gloriam suam ab usi, quem de illo habent Astronomi, ac Geometræ in Quadrangulis, quos adhibent in mensurando toto Cælo, & figuras ejus, Zodiacum, planetas, ac stellas, ut ostendit idem Lexicon Mathematicum Verb. Quadrangulus, & Verb. Quadrans; & eandem auget Ari Quadrataria, quæ in contrariis, architectandisque nobilioribus pavimentis incumbit, & a lapidibus quadris sic ordinando, ut præclaram aliquam speciem, non minus oculis usurpandam, quam æquo pede terendam astantibus præbeant. Gloriatu itaque hic numerus, quod quatuor sunt elementa, quatuor humores corporis, quatuor anni Tempora, quatuor virtutes Cardinales, quatuor mundi partes, quatuor Nobilissima, & aliis omnibus, quia nobilissima Mathesis scientia consistit in quatuor disciplinis, quæ per Antonomasiam Quadrivium appellantur, & sunt Geometria, Arithmetica, Musica, atque Astronomia; ut differunt Auctores, quorum dicta referuntur in prælaudato Chronico Mathematico Verb. Quadrivium.

Quinto numero non desunt encomia, inter quæ illud, quod die quinto Creavit Deus Cete grandia, & omnes animam viventem, atque notabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Genes. 1. 21. Et dicuntur Cete grandia, quia cum super aquas dorsum esserunt, ingentis insulæ speciem exhibent ex Sancto Basilio, & Theodoro, quos citat Cornelius à Lapide ibidem. Plura, & eque mirabilia de Cætib, alii que magnis piscibus refert Schottus in Physica Curiosia lib. 10. cap. 10. & illud potissimum, quod ex Cætorum ossibus integre domus eriguntur ad habitandum. Sed magna est laus Quinarij numeri, quod homines por-

tent enim in manibus, in quibus à Deo constituti sunt quinque digiti ad operandum, & innuunt quinque principales virtutes. Nam primus digitus, qui grossior est, & Pollex vocatur, ed quod inter cæteros virtute plus polleat, significat iustitiam, quæ inter alias virtutes morales plus pollet ex Arist. 2. Ethic. Secundus digitus, qui dicitur Index, quia per ipsum res indicantur, pertinet ad prudentiam. Tertius, qui est Medius, denotat temperantiam. Quartus vocatus Annularis, quia in eo deferimus anulum, innuit fortitudinem, quia in eo deferimus anulum, qui est Quintus, qui appellatur Anularis, ed quod cum eo scalpimus aures, importat obedientiam. Ita Joan. à S. Geminiano de Rer. Similitud. lib. 6. cap. 48.

Senarius numerus exaltat Glossa in Proemio libri 6. Decretalium in Verb. Perfessus, ubi ait, numerum Sextum esse perfectum ut 35. quæst. 4. cap. Unic. sex enim ætates mundi generatio, & hominis est infantia, quæ durat usque ad septimum annum. Secunda, Pueritia usque ad XII. vel XIV. annos. Tertia, Adulescentia usque ad XXV. Quarta Juventus usque ad LXX. Sexta ab inde, & dicitur Senium aliarum ætatum terminus. C. de Sacrosanctis Eccles. l. Ut inter divinum. Sic sex sunt generationes mundi; quarum prima ad Adam usque ad Noe. Secunda usque ad Abraham. Tertia usque ad David. Quarta usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta usque ad adventum Christi. Sexta usque ad finem sæculi. Hucusque Glossa supra dicta, quæ quod ipse solus est numerus perfectus; nam sex numeri faciunt sex. Ter duo faciunt sex. Bis tria faciunt sex, & sic constat in omnibus suis partibus eum continere perfectionem.

Septenarius Numerus, & ipse profertur esse perfectus, ut ait Glossa in Summ. de Pœnitent. dist. 11. in fin. Ideo Gratianus divisit tractatum de Pœnitentia in septem distinctiones. Septem sunt Horæ Canonice cap. Prædictor. 91. dist. Septem Dona Spiritus Sancti. Septem petitiones Orationis Dominicalis. Septem Psalmi Penitentiales. Septem Diaconi electi ab Apostolis. Septem dies hebdomadæ. Septem Planetæ, & Septemtriones duæ, idest Urta major, & Urta minor, utraque constans stellis septem propè polum Mundæ Arcticum. Vitalius in d. Chronici Mathematicæ Verb. Septemtriones. Hunc Numerum commendat etiam Medicus observantes, quod partus Septimestres, idest pueri, qui septimo mense nascuntur, vitam habent; Narbona de Etate Anno prim. quæst. 6. num. 30. notans ibi, quod Isaac fuit primus, qui egressus est de utero Saræ mense septimo.

Octavus Numerus reperit in sacris paginis suas laudes, nam in Arca Noe octo Animæ salvæ factæ sunt à Diluvio. 1. Petr. 3. 10. Christus Circumcissus est octava die. Octo dies duravit Templi Salomonici dedicatio, & in Ecclesia festivitates Solemniores celebrantur cum Octava. Occasione autem Octavarum lectorem non lateat, quod Octava, quæ in Officio Divino celebrantur per annum, sunt in quadroplicet gradu, Octava primi gradus fuit illa Paschatis Resurrectionis Domini, ac Pentecostes, & in his non fit de aliquo Sancto neque Titulari, neque Patrono, neque de Dedicatione Ecclesiæ Octava secundi gradus est illa Epiphaniæ, quia fit tantum de Patrono, vel Titulari, & de Dedicatione Ecclesiæ Octava tertii gradus est illa Corporis Christi, Octava quarti gradus est illa duplicia concurrentia, non autem translata, nisi esset altioris ordinis; & ideo semiduplicia transferuntur. Octavæ quarti gradus sunt ille Natalis Domini, Ascensionis, & aliorum Sanctorum eas

habentium, & hæc admittunt non solum festiva duplicia, sed etiam semiduplicia cadentia infra octavam; nec non duplicia translata; non autem translata semiduplicia. Ideo festum S. Leonis Papæ, die 28. Junij, si cadat in Dominica, transferitur post octavam Apostolorum. Verum tamen est, quod si Festum semiduplex veniat in Dominica infra octavam, vel in die Ascensionis Domini, & dies sequens non fit impedita, nisi ob officium octavæ, fit de ipso Sancto in dicta die sequenti cum commemoratione de Octava. Ita Gavantus in Rubric. Breviar. fol. 3. cap. 8. num. 2. & 3.

Nonus Numerus contentus est duabus prærogativis. Una, quod in eo fit collocatum primum Mobile; scilicet Nona Sphæra immediate existens supra Firmamentum, quæ ab ortu ad occasum suo concitatissimo motu rapit Sphæras inferiores, ut ex observatione Hipparci, ac Ptholomæi notat Pateromus in Sphæra artificiali, ac naturali lib. 2. cap. 1. Altera prærogativa Noni Numeri est, quod ipse deferat ad parturientes humanos fetus in hanc lucem, dum Mulieres ex regula ordinaria parturunt filios mentis Nono; quapropter tam Medici, quam Juris cæteros affirmant, partus Novimestres esse inter cæteros magis naturales, vitales, legitimos, atque perfectos, ut scribit Narbona de Etate d. Anno primo quæst. 6. num. 56. quamvis num. 59. nonnullos allegat contententes, quod decimestres nati sint perfectiores.

Decimus tandem Numerus in se, & ex se non videtur aliam laudem mereri, quam humilitatis, est enim 0; sive, ut vulgò dicitur Zero, qui per se ipsum nihil valet; at per additionem uniuscujusque alterius numeri superat cæteros in summa, & denotat decades aut minores, aut majores juxta numerum additum, à quo decadis nomen recipit, nempe addito 1. facit decem. Addito 2. viginti, & sic de cæteris usque ad 99.

Igitur, quia 0 per additionem 1. facit decem, gloriatur hic numerus in spiritualibus; quæ decem sunt præcepta Decalogi; in humanis autem, nam ab eodem numero Dignitates nomen hauriunt, nempe Decani, ac Decuriones; illi sunt, qui inter Canonicos principatum tenent, prout in Lusitania, Hispania, ac Gallia, ubi in Cathedralibus Decanatus est prima Dignitas post Pontificalem. Barboza de Canonicis. cap. 6. num. 3. Isti sunt, qui olim inter milites præerant decem Viris, Thololan. in Synonym. Jur. part. 2. lib. 15. cap. 21. num. 12. Lexicon Mathematicum Verb. Decani, ac Verb. Decuriones, subdens, quod tales etiam dicuntur ab Astronomis Planetæ, singuli decem partibus Signorum præfidentes.

Et quoniam diximus Denarium Numerum componi per additionem primi numeri ipsi 0, seu Zero; ne tædeat studiosum, ut hanc digressionem numerariam claudat Numerus Aureus, qui reperitur per additionem primi numeri numeris currentis anni. Aureus Numerus, de quo in Rubricis Breviarum, ita dicitur, quia Athenis numerus occurrens in quolibet anno Aureis litteris scribatur; & circulum lunare XIX. annorum significat, & intervallum ad inveniendam Epactam anni currentis. Magrius in Hierolexic. Verb. Aureus numerus. Ad sciendum autem quolibet anno Aureum Numerum, fit additio unius numeri ad Annos Christi currentes; & hi omnes dividuntur per 19. & id, quod indivisibile remanet, est Numerus Aureus. Sic exemplum hoc anno 1701. scribatur 1702. Hæc summa divisa per 19. remanet indivisibile 11. Ergo Numerus Aureus hujus anni 1701. est numerus 11; Si verò peracta, divisio, nil residui remanet, tunc in illo anno Aureus Numerus erit 19. Cur autem addenda sit Unitas ad numerum annorum currentium; ratio est, quia in Anno Nativitatis Christi Aureus Numerus erat 1. Magrius ubi supra.

His ita constitutis ad Numerorum materiæ ornamentum, ad integritatem Confessionis transeamus, **11** que numericam manifestationem omnium peccatorum requirit, ut docent omnes Theologi, ac Moralistæ, & habetur expressum in Concilio Tridentino sess. 14. de Pœnitent. cap. 5. in illis verbis: *Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitate quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse; si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Porro quâto certius est, quod oportet manifestare in confessione numerum peccatorum, eò difficillius videtur determinare ipsum numerum in pœnitentibus, qui per multos annos alieni steterunt ab hoc Sacramento, & in cœno plurimarum iniquitatum, ac turpitudinum soliti fuerunt, tamquam fues in luto, se frequentè involvere. Ideo ad faciliorem intelligentiam hujus conditionis de numero explicando, omnes casus ad tria genera sunt reducendi; videlicet ad intentionem habitam ante peccatum; ad actionem habitam in peccato, & ad expressionem post peccatum.

12 Primum genus comprehendit intentionem peccandi, quam quis habuit, antequam actualiter deveniret ad peccatum; undè dubitant Doctores, & disputant, quomodo ex hac intentione, & proposito peccandi multiplicetur numerus peccatorum explicandus in confessione. Sit exemplum. Titius odio habet Cajum, & determinat in corde suo illum ferire, & vindictam in eum exercere. Antequam ad actum percussiois deveniat, reflectit pluries ad hanc suam determinationem, & ipsam ratificat. Quaritur, an tot peccata numero distincta committat, quot sunt reflexiones ad prædictam determinationem, ita ut teneatur eundem numerum in confessione explicare? Simili modo Cajus concupiscit alienam mulierem, decernit rem carnalem cum ea habere; reflectit ad invenienda media, quibus possit hoc carnale desiderium adimplere. Plurè in animo suo repetit hanc voluntatem, hoc studium, hanc intentionem. Quaritur, an multiplicet peccata numero distincta; ita ut numerice, dum constituitur, ea sit obligatus manifestare? Pariter Mevius resolvit furari bovem vicino suo, & in hac voluntate furandi perseverat pluribus diebus, donec habeat opportunitatem furiendi bovem, quem tandem furripuit; quot peccata commisit, ex continuatione illius voluntatis, numero distincta? In his, & ac consimilibus casibus discordes sunt Moralistæ; alii enim volunt, unum tantum numero esse peccatum, ita ut satis sit consuetudine dicere, desideravi, ac decrevi vindictam facere; mulierem alienam habere; bovem furripere. Alii verò distinguunt; vel dicta prava voluntas peccandi nunquam fuit intermissa, ac interrupta; & tunc peccatum unum numero censetur; & satis est genericè de prædicta voluntate se accusare. Vel intermissa, ac interrupta fuit, vel per applicationem seriam ad alia negotia, vel per detestationem, & retractionem illius mali desiderii vindictæ, adulterii, furti, & similibus; sed deinde fuit reassumpta, ac volita; in hoc casu tot erunt peccata numero distincta, quot vicibus renovata fuit voluntas peccandi, & hic numerus est necessarîo explicandus in Confessione. Ita Suarez de Pœnitentia disp. 22. sect. 5. Gobatus in Theolog. Expositum. tract. 6. casu XVI. à num. 397. & seqq. usque ad num. 411. Tambur. de Exped. Conf. lib. 2. cap. 1. §. 8. & Emin. Card. de Lugo eod. tract. de Pœnitent. disp. 16. sect. 14. §. 3. per totum; ubi bene advertit, quod nisi magna fuerit interruptio voluntatis circa prædicta desideria peccandi, absque scrupulo reputari potest unum numero peccatum; & satis est, quod pœnitens se accuset, quanto tempore duravit in illo proposito peccandi; & idem sufficit explicare, quando etiam interfussissent plures interruptiones; quarum numerum pœnitens colligere non

posset; tunc enim satis est exprimere tempus; quo continuatum est in illo proposito peccandi.

Secundum genus continet, quomodo multiplicetur numero peccata in ipsa actione peccandi, quando actio ipsa peccaminosa est multiplex, extensivè habens in modo, & in tempore peccandi? In hoc genere multi multa dicunt, sed resolutio omnium casuum reducitur ad hanc Regulam, videlicet: *Quantum ad actiones peccaminosas physice plures sunt, totales, ac completæ, nec earum una ex se ordinatur ad aliam; tunc tot sunt peccata numero distincta, quot sunt ipse actiones.* Adeo ut intentio exercenda eas omnes actiones intra certum tempus non sufficiat ad efficiendum, ut prædictæ plures actiones sint moraliter una. E contra, ubi actiones plures peccaminosæ pendunt una ab altera; neque dicuntur completæ, aut quæ perfectum, nisi in earum ultima; in tali casu censentur moraliter una, & unum tantum numero peccatum constitunt, de quibus unico, ut ita dicam, verbo sufficit in Confessione se accusare. Regulam hanc exemplis declaro. Mevius ivit dormitum cum meretrice, animo in illa nocte eam carnaliter cognoscendi quanto magis poterit. Bis copulam habuit cum illa ante somnum. Iterùm bis, postquam dormivit. Hic commisit quatuor numero peccata, quia unaquæque copula fuit in se completa actio, independens ab aliis. Diana Coordinatus tom. 1. tract. 7. resol. 165. §. 16. in veteri part. 3. tract. 4. resol. 67. ubi quod non sufficit, si Mevius in Confessione dicat, tota nocte fui in lecto cum meretrice; feci, quod potui cum illa. Tamburin. d. lib. 2. cap. 1. §. 8. num. 56. Idem docet Gobatus d. tract. 6. à num. 293. & seqq. Eminentiſſ. Card. de Lugo d. disp. 16. num. 557. Qui omnes advertunt, verba, oscula, tactus impudici ea nocte habiti à Mevio cum eadem Meretrice tam ante, quam post copulam, non esse peccata numero distincta, neque singillatim manifestanda; quia fuit vel initium, vel complementum illarum turpitudinum; & sic quid moraliter unum cum illis; ut tenet etiam Navarrus in Manual. cap. 6. num. 17. Præcedenti Casui conveniunt hi, quoscenset idem Gobatus d. tract. 6. n. 404. his verbis: *Qui tres homines unum post alterum vulnerat, aut tres feminas, unam post alteram turpiter cognoscit, aut duobus furatur uni post alterum, admittit plura numero distincta peccata secundum probabiliter opinionem Lugonis, & aliorum contra Zanardum.* Igitur de illidem peccatis est numerica manifestatio facienda.

At è contra, qui pluribus juramentis continuis confirmat rem falsam; vel in eadem iracundia pluries blasphemat; vel qui incipit detrahere Petro, & continuat sermone, occasione novæ interrogationis, rursus detrahit eidem in alia materia, vel Sacerdos præbet centum hominibus sub una Communionem Sacram Hostiam existentibus in peccato mortali; aut Cajus octo, vel decem verbis contumeliosis uno impetu prolatis virum bonum inurit; vel cum pugno afficit, animo abstinendi ab ulteriori percussione, sed quia percussus ostendit adhuc contemptum, ipsum reiterato bis, ter, quater pugnis percussit; sive Titius ingressus domum nocte, eam totam expilat, auferendo ex ea primum pannos lineos, deinde stamna, subinde res argentæ: Hi omnes unum tantum numero peccatum committunt; quia unaquæque ex prædictis actionibus non est completa in primo actu peccaminoso, sed cum actus sequentes producantur immediatè à primis, censentur moraliter actus unus, & sic unum numero peccatum. Gobatus d. tract. 6. à num. 403. & seqq. & Eminentiſſ. Cardin. de Lugo d. disp. 16. à num. 559. & sequentibus; qui cum Diana part. 5. tract. 7. resol. 7. num. 4. reposta in Coordinato tom. 4. tract. 6. resol. 126. & cum Tamburino de Exped. Confess.

Confess. d. lib. 2. cap. 1. n. 55. concedunt, unum numero peccatum tantummodo committere Confessorium lethalibus onusum, plurium peccatum Confessiones excipientem sine interruptione; repugnantes actionem illam audiendi Confessiones esse moraliter unam; que tamen opinio mihi non placet; quia tot Sacramenta facit Confessorius, quot pœnitentes audit; & absolvit; idcirco cum indignè administret Sacramentum, tot ei irrogat injurias, quot vicibus illud complet; & per consequens tot peccata numero distincta committit, quot pœnitentes absolvit; & hunc numerum tenetur ipse in propria Confessione explicare; ut bene notat Bonacina tom. 1. disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. num. 7.

Tertium genus concernit expressionem numericam faciendam à pœnitentibus in Confessione de suis peccatis; & an sufficiat, exprimere eorum numerum incertum cum clausula *plus, minusve*; seu cum dictione *Circiter*? Circa quæ methodum confitendi observanda sunt tres conclusiones sequentes.

Prima est; quando Pœnitens in suæ discussionis conscientiæ reperit certum, ac determinatum numerum peccatorum, quæ commisit, tenetur manifestare illam certam numericam quantitatem; & abstinere ab eis particulis, *plus, minusve, aut Circiter*; siquidem cum sint distinctivæ, faciunt incertitudinem, & reddunt sensum dubium; idcirco certus de commisso majore numero mortaliū, illum constituit minorem cum particula *Circiter*, & sic reus culpa gravis, ut differit Gobatus d. tract. 6. num. 477. & 418. & Emin. Card. de Lugo d. disp. 16. n. 79.

Secunda Conclusio. Qui factò examine conscientiæ non potest specificum numerum peccatorum agnoscere, & illum constituit sub incertitudine cum clausulis *plus, minusve, aut Circiter*; si postea reperiat verum numerum excedere nimis quantitatem jam expressam, puta vel in medietate, vel in tertia, aut in quarta parte; ut si dixisset, fecisse pollutiones 40. circiter; deinde cognoscat, eas fuisse 60. vel 54. vel 50. tenetur redire ad Confessorium, eumque de incertitudine jam dicta, & de excessu jam reperito edicere facere. Fillucius tom. 1. tract. 7. cap. 4. num. 82. Reginaldus lib. 6. num. 206. Sylvester Verb. Confessio 1. num. 12. Eminentiſſ. Card. Toletus lib. 3. cap. 7. num. 2. Tamburinus de Exped. Confess. lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 22. & Gobatus num. 422. eod. tract. 6.

Tertia Conclusio. Si confessus est pœnitens (præmissò debito examine, & non reperito certo specifico numero peccatorum) numerum incertum cum particulis *plus, minusve, aut Circiter*; si deinde reperiat veritatem numeri parvam excedentis, non tenetur amplius adire Confessorium pro manifestatione illius excessus. Quantus autem esse debeat excessus, ut dicatur parvus, & deobliget ad repetendam Confessionem? communis est opinio Moralistarum, ut relinquatur arbitrio boni viri, regulando à longitudine temporis non factæ Confessionis; & à multitudine culparum cum dictione *Circiter* manifestatarum. Siquidem, ubi quis à multo tempore non fuit confessus; ei indulgeri possunt duo, vel tria peccata ob clausulam *Circiter, plus minusve*; si verus numerus non excedat *duodecim*, & ad summum *viginti*. At si à modico tempore non sit confessus, puta ab octiduo, vel à mense, minus est indulgendum, quia præsumitur posse reperire verum numerum, si se diligenter examinet; quem si non reperiat, videtur non bene se examinasse. Eodem modo, si quis magnam sarcinam culparum ad pedes Confessorii deponat, e. g. Octoginta, nonaginta, vel centum ejusdem speciei, cum clausula *plus, vel minus, aut Circiter*, deinde comperiat, eas crescere illud argumentum nu-

meri confiteri, ut docet Navarrus in cap. *Conferret. num. 42. de Pœnitent. dist. 3.* Diana Coordinatus tom. 1. tract. 3. resol. 189. Tamburinus d. lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 23. & Gobatus à num. 421. & seqq. firmantes, quod illa verba *Circiter, plus, minusve* intelligenda sunt humano, & morali modo loquendi; quo attento parùm augent, aut diminunt, & illud parum consideratur respectu magnitudinis, vel parvitas veri numeri. Eminentiſſ. Card. de Lugo d. disp. 16. num. 97.

Corollarii loco pro Confessionibus peccatorum habitualium, qui accedunt ad pedes Sacerdotis, notandum circa numericam manifestationem culparum; quòd 1. Meretrices satis exprimit, si dicant tempus sui mali status, species principales suarum turpitudinum, quas memoria retinet, qualitate personarum, quibus copiam sui corporis fecerunt, an præter solutos, fuerint conjugati, vel voto castitatis obstricti; & saltem in consilio quoties vel in die, vel in hebdomada solitæ fuerint peccare. 2. Fures, Usurarii, & alii prædones satis exprimit, si dicant frequentiam furtorum, vel injusti lucri; quantitatem eorumdem; ac tempus, quo talem artem exercuerunt. 3. Qui concupiscunt quascumque feminas obvias habent, & qui loquuntur frequentè de rebus turpibus, cum non possint colligere numerum specificum harum culparum, satis est, si exponant consuetudinem, tempus, & species principales circa personas, quas concupiverunt. 4. Qui Concupiscunt domi per plures annos, non est opus, ut narret quot vicibus, cum ea copulam habuerit; sed satis est, si se accuset, eam tamquam uxorem tenuisse, & frequentiam carnalis copulæ manifestet, ut si semel in die, in hebdomada, vel alter solitus fuerit eam carnaliter cognoscere. Et hi omnes censentur sufficienter indicare numerum suorum peccatorum; adeo ut quamvis postea in eorum memoriam veniat major dicti numeri certitudo, non teneatur novam homologie facere; ut passim tradunt DD. quos allegat, & sequitur Tamburinus d. lib. 2. cap. 1. §. 7. per totum; Gobatus d. tract. 6. num. 399. & num. 400. Eminentiſſ. Card. de Lugo d. disp. 16. num. 574. cum seqq. Quibus addo Collegium Salmanticense in *Cursu Theol. Mor. tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 3.*

Ultimò circa peccata dubia non est ignorandum, quòd quando quis dubitat, an commiserit peccatum mortale, nec ne? vel an fuerit mortale, vel veniale? vel an fuerit aliis confessus, vel non? Et habet rationes dubitandi pro utraque parte; est plures DD. dicant, non teneri ad Confessionem illius dubii peccati; securior, ac negotior opinio est, ut omnino confiteatur; quia negotior æternæ salutis non est in dubio relinquendum. Eminentiſſ. Card. de Lauræa de Pœnit. sacr. disp. 12. art. 4. per tot. & notant DD. citati per Tamburinum d. lib. 2. cap. 1. §. 3. num. 15. præcipue, si pœnitens sic dubitans esset in articulo mortis. Bonacina d. tom. 1. de Pœnit. Sacram. disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 4. Suarez. tom. 4. de Pœnit. disp. 22. sect. 9. Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 10. num. 66. & 67. Diana Coordinatus tom. 1. tract. 3. resol. 132. resol. 133. & resol. 134. Novissimè, ac copiosissimè Cardenas in *Cristi Theologia tract. 6. disp. 46. per totam*; in qua impugnat Caramuclem contrarium suadentem, & ejus argumenta in *Cristi* postea examinat, ac reprobat à num. 18. usque ad num. 205. & subinde à num. 206. & seqq. referre DD. ac rationes, quibus concludit, non posse negari obligationem confitendi peccata mortalia dubia; quam conclusionem pluribus corroborat usque ad num. 303. & eandem tenet P. Thyrsus Gonzalez Propositus Generalis Societatis JESU in suo eruditissimo *Traçatu Fundamentum Theolog. Moral. seu De Rebo Usu Opinionum Probabilium Dissert. 11. cap. 2. & ante*

ante eum Collegium Salmanticen. De Sacramento in genere trañ. 6. cap. 8. punct. 3. per totum.

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

Circumstantiarum peccati definitione, ac multiplici divisione proposita, firmatur Regula inconcussa; quod Circumstantiæ mutantes speciem sunt de necessitate confitendæ. Deinde examinatur celeberrima, ac famosa Quæstio, Utrum Circumstantiæ notabiliter aggravantes sint de necessitate in Confessione aperiendæ. Utriusque opinionis, affirmativæ, ac negativæ argumenta proponuntur, & enervantur. Tandem in quinque Notandis colliguntur quinque genera Circumstantiarum aggravantium, quarum prima quatuor sunt de necessitate manifestanda, non autem quintum, prout in exemplis ibidem clarè, ac doctè allegatis.

SUMMARIUM.

- 1 Circumstantia quid sit?
- 2 Circumstantiarum multiplex divisio?
- 3 Circumstantiæ mutantes speciem quæ sint?
- 4 Circumstantiæ aggravantes tantum, quæ?
- 5 Circumstantiæ aliæ aggravant in infinitum, aliæ non. Exempla earundem.
- 6 Circumstantiæ mutantes speciem in Confessione manifestandæ; ac illæ, quæ aggravant in infinitum.
- 7 Circumstantiæ notabiliter aggravantes, an sint confitendæ? Rationes pro affirmativa num. 8. Pro negativa num. 9. Confutatio argumentorum opinionis affirmativæ. num. 10.
- 11 Incessus in primo gradu est specificè confitendus, & cur?
- 12 Carnes comedere in die jejuniæ est duplex numero peccatum.
- 13 Circumstantiarum aggravantium non confitendarum fundamenta eversa, ac resoluta.
- 14 Circumstantiæ minuentes sunt fatendæ. Exempla.
- 15 S. Thomas circa Circumstantias aggravantes confitendas declarat.
- 16 Opiniones contrariæ de Circumstantiis aggravantibus confitendis ad concordiam reducuntur.
- 17 Circumstantias aggravantes esse fatendas opinio tutior.
- 18 Opinionem Tutiores posse relinquere in Sacramento, est propositio damnata ab Innocentio XI.
- 19 Circumstantiæ, quæ aggravant in infinitum, semper confitendæ. Et quæ tales sint?
- 20 Contemptus formalis aut Legis, aut Superioris semper est culpa mortalis.
- 21 Pœnitens tenetur cum veritate respondere Confessorio eum interroganti circa circumstantias peccati. Opinio contraria damnata.
- 22 Circumstantiæ leviter aggravantes omitti possunt in Confessione.

Secunda conditio necessaria ad integritatem Confessionis Sacramentalis est, ut in ea explicentur Circumstantiæ peccati, quare de his in præfenti est agendum, & videbimus:

Primo, Quid sit Circumstantia?

Secundo, Quotplex?

Tertio, An præter obligationem explicandi in Confessione circumstantias mutantes speciem peccati, necessarium sit confiteri etiam aggravantes?

Quo ad Primum: Circumstantia, ut nominis erymon indicat, nil aliud est, nisi aliquid rem in loco existentem extrinsecus attingens, aut ei propèctans; prout sunt vestes ad corpus, aut Icones positæ ad tabulas, seu telas pictas; & quæle erat labium, & corona interaffilis, quam iusserat Deus Moyfi; ut apponeret Mensam panum propositionis, cum dixisset: *Facies, & mensam de lignis Setim. Faciesque illi labium aureum per circuitum; & ipsi labio coronam interaffilem altam quatuor digitis. Exod. 25. 23.* circumstantiam etiam dictum labium, ac corona eidem mensæ per omne latus; siquæ eam attingebant, & erant circumstantiæ ipsius Mensæ. Itaque Theologi per quendam similitudinem circumstantias humanorum actuum vocant illas, quæ ad actus ipsos ita pertinent, ut essentiam minimè ingrediuntur, sed eis ita adhærent, ut casuali-quam novam formam; & ut ratiocinantur Reginaldus in Praxi lib. 14. num. 7. & Eminentiss. Cardin. de Laurea de Sacram. Pœnitent. disp. 11. art. 4. num. 35. ubi circumstantias appellat formas quædam, seu qualitates non constituentes primò actum humanum, sed stantes circa eum, tamquam comitantes illum, & earundem hanc tradit definitionem. *Circumstantia est, id, per quod actus humanus non primò constituitur, sed quæsi advenit constituto. Et reddit hanc rationem dicens: Eò quod sine ea, actus humanus adhibet in genere moris. Et dat exemplum de actu odii, qui fit intensus v. g. ut quatuor, vel ut octo? vel concipiatur in tali tempore, vel in tali loco; hæc enim omnia sunt circumstantiæ, quia non primò constituntur actum; sed sunt extra eum, & ipsum comitantur.*

Quo ad Secundum: Plures dantur divisiones Circumstantiarum. Prima est, quod aliæ circumstantiæ sunt naturales, seu Physicæ; aliæ sunt Morales. Illæ dicuntur naturales, seu Physicæ, quæ nihil conferunt vel ad rectitudinem, vel ad deformitatem actus, etsi illum comitentur; neque per ipsas augetur, aut minuitur sive bonitas, sive malitia ejusdem actus. Exempli gratia: Si homicidium fit commissum manu dextera, vel manu sinistra. Aut sit patrum ante, sive post meridiem. Divinatio si fit facta per ignem, aut per aquam, & his similia; quæ quidem circumstantiæ naturales non attenduntur in Confessione Sacramentali, quia earum intuitu ipse actus neque magis, neque minus fit contentaneus, vel differtentis à recta ratione. Reginald. d. lib. 14. n. 8. Collegium Salmanticen. De Sacramento in genere trañ. 6. cap. 8. num. 4. Morales circumstantiæ sunt, quæ conferunt aliquid ipsi actui; & per illas augetur, seu minuitur bonitas, vel malitia ipsius actus; veluti si homicidium commissum sit in loco Sacro; vel in persona proprii Patris, aut Sacerdotis; tunc enim, ultra actum peccaminosum occisionis, concurret deformitas Sacrilegii contra loci, & personæ Sacræ reverentiam; ac etiam parricidii contra pietatem debitam proprio parenti. Reginald. d. num. 8. & Collegium Salmanticen. d. num. 4. advertentes has circumstantias morales esse illas, quæ sunt explicandæ in Sacramentali Confessione; & quas Confessarius considerare debet, quia ejus munus est judicare de moribus, & consequenter de peccatis, quatenus sunt distincta in genere moris, non in genere naturæ. Secunda divisio circumstantiarum est, quod aliæ dicuntur intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. Illæ sunt intrinsecæ, quæ sunt affines ipsi actui, ut ejus duratio, vel intensio; Extrinsecæ sunt, quæ versantur extra entitatem actus, & se tenent, vel ex parte objecti, vel operantis, vel loci, vel temporis, vel personarum adstantium, vel offensi; & hæc omnes sunt circumstantiæ morales, quæ auget, vel minuunt malitiam actus, ut infra videbimus. Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 11. num. 35. in fine. Tertia tandem Magistralis, ac principalis

palis divisio Circumstantiarum est, quod Aliæ sunt mutantes speciem; Aliæ non mutantes, sed aggravantes tantum in eadem specie.

In primis igitur, Illæ dicuntur Circumstantiæ mutantes speciem, quæ faciunt, quod peccatum sit vel contra diversa præcepta, vel contra diversas virtutes. Exempli gratia, Furtum rei sacræ est contra septimum præceptum de non furando; & contra præceptum reverentiæ debitæ rebus sacris. Ergo illa circumstantia rei sacræ, quam fur surripuit, est circumstantia mutans speciem, quia duo præcepta offendit, & causat non solum speciem furti, sed etiam speciem Sacrilegii. Occidens patrem in Ecclesia violat tria præcepta, quartum, quintum, & illud Religionis erga locum Sacrum, & sic committit tria peccata specie distincta. Reginald. lib. 6. numer. 139. & lib. 14. numer. 69. Incestus cum Matre est circumstantia mutans speciem, quia est peccatum contra duo præcepta; contra sextum, Non machaberis; & contra quartum, Honora parentes; siquidem per hanc incestuosam copulam Mater inhonoratur. Furtum facere ad tentandum puellæ pudicitiam, est circumstantia mutans speciem, quia offenduntur duæ virtutes; justitia, per ablationem rei alienæ; & castitas, per illum pravum finem tentandi pudicitiam illius puellæ. Idem Reginaldus d. lib. 14. numer. 18. Magistrus in 4. Sentent. disp. 5. num. 479. & Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 11. num. 37. Item furari ad finem occidendi, consulere Magos ad adulterandum, quia præcitantur duo præcepta, sunt due circumstantiæ mutantes speciem. Tamburin. de Exposit. Confess. lib. 2. cap. 1. §. 10. num. 66. & inferius num. 108. ubi addit hoc aliud exemplum, qui habet copulam cum muliere conjugata, consanguinea, & per viam, prodegit in hoc seelere quatuor species diversas, nempe fornicationem, adulterium, incestum, & stuprum. Item comedere carnes in Quadragesima est circumstantia mutans speciem, quia prævaricatur duo præcepta; Unum de non comedendo carnem dicto tempore; aliud de jejuniu servando. Magistrus d. disp. 5. num. 485. in fine. Hæc autem omnia, ac similia mutant speciem non solum quando actu explentur, sed etiam dum solo desiderio committuntur. Volpi Resol. 26. n. 19. ubi DD.

Circumstantiæ aggravantes, sed non mutantes speciem, illæ sunt, quæ non offendunt nisi unam virtutem, vel unum præceptum, etsi augeant malitiam peccati; exempli causa, si quis occidat inimicum pluribus vulneribus. Qui furtum fecit surripiendo quinquaginta, vel centum. Qui reus est de crimine pessimo, an illud cum mare, vel cum femina commiserit? in his enim omnibus non multiplicatur species peccati, etsi ejus malitia intra eamdem speciem aggravetur.

Porro hæc circumstantiæ aggravantes subdividuntur, ut aliæ aggravent, vel minuunt in infinitum; aliæ aggravent, vel minuunt notabiliter tantum. Primæ sunt, quæ de veniali faciunt mortale; vel de mortali faciunt veniale, aut auferunt omnem malitiam actui. Sit exemplum: Surripulisti acum Sutori pauperi, qui non habet alium, quo victum sibi, ac familie suæ paret. Dixisti mendacium jococum, sed cum juramento, vel ad finem fornicandi. Circumstantiæ in his exemplis aggravant in infinitum, quia peccatum de sui natura veniale ob levitatem materis transit in mortale ob circumstantias prædictas. Magistrus d. disp. 5. num. 479. Volpi Resol. Moral. Verb. Circumstantiæ Resolut. 26. num. 1. & num. 16. E contra, commisit quis homicidium ad propriæ vitæ defensionem cum moderamine inculpate tuelæ; Mulier honesta non audit Missam die festo ob timorem alioquin violentie contra honestatem in via; seu ob defectum vestimentorum juxta suam conditio-

nem. In his exemplis circumstantia minuunt in infinitum; & destrunt malitiam peccati mortalis. Volpi ubi proxime Resol. 25. num. 13. & Resol. 135. num. 12. & num. 29. Prout etiam admittit quæ cogitationem de fornicatione, sed absque plena deliberatione, hæc circumstantia minuit infinitum, quia peccatum remanet veniale. Magistrus d. disp. 5. num. 479. in fine. Circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt, quando earum intuitu malitia peccati mortalis remanet mortalis, etsi parùm, vel plus crescat, aut decrescat; ut si fornicatus fueris cum pulcherrima muliere ad ejus suggestionem. Si percussisti inimicum, à quo gravem injuriam acceperas. Si calore iracundie blasphemasti; si mulier fame compulsa sui corporis copiam fecit. In his casibus intuitu aliquantum malitia peccati; sed remanet mortale. Item si quis in die jejuni pluries comederit. Vel incestum in tertio, vel secundo gradu commiserit. Vel oscula, & tactus plurimos habuerit ante, vel post illicitam copulam, & aliis consimilibus, de quibus exemplificat Diana Coordinatus tom. 1. trañ. 7. resol. 163. & Gobatus d. trañ. 6. cap. 368. & 369. credit quidem notabiliter malitia peccati, sed non egredietur illam unicam speciem peccati. Reginaldus d. lib. 14. a num. 13. & seqq.

Quo ad Tertium, Nemo est, qui dubitet, manifestandas esse in Confessione circumstantias peccati mutantes speciem, juxta tex. in cap. Aut facta 19. de Pœnitent. dist. 1. cap. Consideret. 1. eod. trañ. dist. 5. in cap. Omnis viri que sexus. De Pœnit. & Remiss. in cap. sicut, il primo. De homicidio. & in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 3. de Sacram. Pœnitentiæ in illis verbis: *Colligunt præterea, etiam eas Circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Subdens rationem: *Quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus intellegendi fieri nequeunt, ut de gravitate criminum reddere possunt. Quæ peccata, quam oportet, pro illis pœnitenti imponere. Quam rationem latè declarat Magistrus in cit. disp. 5. de Pœnitentiæ Sacram. num. 477. Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 11. a n. 38. & seqq. Volpi d. Resol. 26. num. 17. & Collegium Salmanticen. d. trañ. 6. cap. 8. num. 4. Ac ex eadem ratione deducitur, quod etiam circumstantiæ in infinitum aggravantes, vel minuentes sunt in Confessione exprimendæ, quia eis non expressis Confessarius non possit cognoscere, an peccatum fuerit mortale, vel veniale; vel etiam an actus sit immensus à quacumque malitia peccati, ut in exemplis, quæ dedimus supra n. 5. & hoc notat Magistrus d. disp. 5. sub. 479. Verf. Ob eandem rationem. Et idem Collegium Salmant. d. cap. 8. num. 10.*

De Circumstantiis autem in eadem specie, & intra eundem gradum peccati mortalis notabiliter aggravantibus, magna est Theologorum inter se altercatio. An sint manifestandæ in Confessione? Si quidem affirmant Alensis, Suarez, Nuñez, Sanchez, Henriquez, Canus, Ledesma, & alii plurimi, quos citant Magistrus d. disp. 5. num. 480. Collegium Salmanticen. d. trañ. 6. cap. 8. num. 16. & Diana Coordinatus tom. 1. trañ. 7. resol. 165. deducta ex Veteri in part. 3. trañ. 4. resol. 67. E contra autem negant S. Thomas, D. Bonaventura, Albertus Magnus, Durandus, Valencia, Bonacina, & ipse Diana, cum aliis multis ubi supra per eam allegatis, quibus adhærent ipse Magistrus d. num. 480. Eminentiss. Card. de Laurea d. disp. 11. art. 5. per totum; & ante illum Emin. Cardin. de Ligada Sacram. Pœnit. disp. 16. s. 3. Catriopolanus trañ. 2. disp. Unice. punct. 9. & alii recentissimi per Collegium Salmanticen ubi supra num. 23. Rationes, & argumenta præcipua affirmantium sunt sequentia.

Primo: Supradicti Canonibus in cap. Aut facta. De Pœnit. dist. 1. & cap. Consideret, dist. in quibus disse-

differitur de circumstantiis in Confessione explicandis, inter quas plurimæ referuntur, quæ sunt tantum aggravantes, non autem mutantes speciem.

Secundò: Quia Concilium Tridentinum in *cap. 14. cap. 5.* eam postulat confessionis integritatem, qua Confessarius probè noverit causam, ut aquas injungat pœnitentias. Sed sine circumstantiis aggravantibus, talis causæ, & facti cognitio haberi non potest. Ergo hæc quoque sunt explicandæ.

Tertiò: Idem videtur expressè statutum in *cap. Omnis utriusque sexus. 12. de Pœnit. & Remiss.* ubi sic dicitur: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut morè periti Medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat esse peccatum, & cujusmodi remedium adhibere.* Sed, sub silentio retentis circumstantiis notabiliter aggravantibus, hæc adimpleri non possunt. Ergo.

Quartò: Quia de facto sunt aliqua peccata, quarum circumstantiæ, etsi tantummodò aggravantes, & non mutantes speciem, sunt omnino explicandæ ex concordia doctrinæ omnium Theologorum; ut insecus in primo gradu. Occisio plurium uno, & eodem actu. Infamatio proximi, vel saltem crimen inveniendū; vel verum, sed occultum propalandum. Fractio jejunii aut per comestione carnis, vel piscium. Cajetanus in 2. q. 154. art. 9. *Matr. d. disp. 5. n. 485.* Diana Coordinatus, Doctores sic docentes allegans tom. 1. *tr. 7. resolut. 163.* ex Veteri *part. 5. tr. 14. resol. 16.*

Quintò: Cùm duplex sit modus peccandi; unus ordinarius, & communis; alter extraordinarius, & cum peculiari deformitate in illo genere; si pœnitens non manifestet circumstantiam ejusdem peculiaris deformitatis, Confessarius eam scire non potest, neque divinare; & idèò neque rectè judicare. Ergo.

Sextò: Aliquando peccatum propter intensiorem voluntatis, vel extensionem operis æquivalere duobus, vel pluribus peccatis ejusdem generis. Nam qui per horam continuat voluntatem occidendi, vel urandi aquè peccat, ac ille, qui in illa horatè, vel quater occidit, vel furatur. At qui plura homicidia committit, vel furta, tenetur ea omnia manifestare, ut Confessio sit integra. Ergo idem dicendum de circumstantia intensiorem voluntatis, vel operis extensionis.

Septimò: Probatur ex Rituali Romano, approbato à Paulo V. in quo, in Rubrica de *Sacer. Pœnit. Verso. Si pœnitens*; ita præcipitur: *Si pœnitens numerum, & speciem, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias, non expresserit, cum Sacerdos prudenter interroget.* Per hæc verba Summus Pontifex censetur intelligere circumstantias aggravantes, non autem mutantes speciem, quia de eis primùm locutus est, ac de numero peccatorum. Ergo circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt exprimendæ.

Octavò: Confessarius potest interrogare Pœnitentem de circumstantiis aggravantibus tantum, ut ibi ait Ritale Romanum, & concedunt omnes scribes; & Pœnitens tenetur respondere veritatem, quia non licet ei in Confessione mentiri. Ergo tenetur etiam spontè eas manifestare; quia in foro pœnitentialem id agit pœnitens per spontaneam Confessionem, quod in foro fori facit Judex per suas interrogaciones. *Matr. d. disp. 5. num. 488.*

Ultimò probatur hæc opinio affirmativa ab absurdis, quæ ex contraria sequerentur: nempe quòd Ecclesia non posset reservare casus ratione circumstantiarum aggravantium; neque eos afficere censuris; & nihilominus contrarium servatur in praxi; & sæpè Ecclesia reservat casus, & imponit censuras ob solas circumstantias aggravantes; prout est, si Clericus comam nutriat; si habitet cum mulieribus suspectis; & individualiter in hoc Episcopatu Pata-

vino, tempore Eminentissimi ac Reverendissimi D. D. Gregorii Cardinalis Barbadii Pastoris vigilantissimi, casus reservatus cum censura suspensionis ipso facto publicatus fuit contra Clericos tenentes famulas non quadragenarias, & sine licentia; celebrantes Missam absque Vestè salari; accedentes ad comedias in publico theatro; ac mercaturam, seu Laicorum negotia exercentes; ut quilibet legere potest in libro *Epistol. Pastoral. ejusdem Eminentissimi, ac Reverendissimi Præsulis, Editò XIX. XX. XXVIII. & LXIX.* Et ex his, aliisque rationibus, & argumentis, quæ ad prolixitatem evitandam omitto, DD. supracitati docent, defendunt, ac tenent affirmativam opinionem, volentem, circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem peccati esse de necessitate fatendas in Sacramentali Confessione.

Qui negant hanc necessitatem, & concedunt prædictas circumstantias posse taceri, utuntur sequentibus motivis, ac fundamentis.

Primò: Quia non est imponenda tam onerosa obligatio, ubi non constat de lege, seu præcepto eam imponente; siquidem lex non obligat, nisi sit promulgata; imò in dubio legislatæ lex non obligat; nam interpretatio fit contra eam; qui jus clarum dicere potuit, & non dixit. *Matr. d. disp. 5. num. 481.* Sed de tali lege, vel præcepto non constat. Ergo talis obligatio consenti circumstantias aggravantes non est fidelibus imponenda.

Secundò: Quod de uno conceditur, de alio denegatur. Glossa in *cap. Nonò 5. Verb. tacendo in fin. De Præsumpt. Barbosa Axiom. 196. num. 20.* Sed Tridentinum Concilium *in sess. 14. cap. 5.* definiendo necessitatem manifestandi circumstantias in Confessione, loquitur de mutantibus speciem, & tacet de aggravantibus. Ergo dicendum est, has non esse necessariò manifestandas; nam si aliter esset, etiam de his Concilium locutum fuisset.

Tertiò: In doctrinibus, sive dogmaticis limitatio doctrinæ, & restrictio ad unam partem excludit aliam. *Matr. d. num. 481.* ubi exemplificat de Sacramento Eucharistiæ, in quo, cùm ejus materia determinata sit panis triticeus, eo ipso excluditur quicumque panis ex alio grano confectus. Sed Concilium Tridentinum, ubi supra, declarando in quibus consistat integritas Confessionis, se restrictit, ad manifestandum numerum peccatorum, & ad circumstantias mutantes speciem peccati. Ergo excluditur exclusivè eo ipso illas, quæ tantummodò aggravant.

Quartò: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad remissionem peccatorum, quæ in confessione cum dolore, & proposito emendandi manifestantur. Ergo ex vi institutionis illius nihil aliud est manifestandum, nisi quod habet rationem peccati. Sed ratio peccati non importat, nisi speciem, & numerum. Igitur hæc sola sunt explicandæ.

Quintò: Illa malitia peccati est confitenda, quæ auget peccatum vel specificè, vel numericè. Sed circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem non augent peccatum specificè, nec numericè. Ergo non sunt confitendæ.

Sextò: Si esset necessitas exprimendi circumstantias aggravantes in eadem specie, esset etiam necessitas confitendi alleviantes. Sed consequens non est dicendum; quia tunc confessio non esset ipsi peccatoris accusatio, sed excusatio; quam omnes confessarii proscribunt, ut cùm pœnitentes dicunt, blasphemias, quia agitur ab impatientia; me inebriavi provocatus à sodalibus; me pollui, aut rem alienam surripui, tentatus à dæmone. Ergo neque antecedens est dicendum.

Septimò: Si esset talis necessitas exprimendi circumstantias aggravantes, oporteret ex necessitate exprimere durationem voluntatis peccandi, intensi-

onem,

nem, & alia media, seu industriis adhibitis pro majori delectatione in peccando; e. g. qui copulam carnalem habuit cum muliere; an eam fecerit stando, vel sedendo, vel prostratus, aut aliis modis, qui fatis difficiles sunt narrari, ac parum decentes, & non sunt in usu apud prudentes Confessarios. Ergo dicendum, non ex parte prædictam necessitatem. *Reginald. d. lib. 6. num. 134.*

Octavò: Nam, ut ait Emin. Card. de Lugo de *Sacram. Pœnitent. disp. 16. sub num. 113.* Christus Dominus solùm præcepit necessariò confessionem peccatorum. Sed qui explicat eorum species, & numerum, verè, & propriè confitetur sua peccata. Ergo nihil aliud est exigendum ex parte pœnitentis.

Nonò, & ultimò adducitur auctoritas S. Thomæ in 4. *dist. 16. q. 2. art. 2. quæstione. 5.* ubi agens de hæc questione concludit eam his verbis: *Alii verò dicunt, quod non sunt de necessitate confitenda, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt; & hoc probabilius est.* Ergo ex Angelici Doctoris auctoritate, ajunt, ita esse tenendum, non obstantibus argumentis, & rationibus supra in contrarium adductis, quibus ita respondetur.

Ad Primum: Quod illi Canones antiqui loquuntur non de Sacramento Pœnitentiæ, sed de Pœnitentiæ virtute, ideoque suggerunt multa motiva, ac circumstantias, quæ magis, ac magis possunt excitare dolorem. Uteridè, quod quatenus etiam ageretur ibi de Confessione Sacramentali, circumstantiæ aggravantes ibidem recensentur ex consilio, non autem ex præcepto. Ita Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 11. num. 78.*

Ad Secundum: Satis esse, ut Sacerdos possit rem judicium facere circa gravitatem peccati, & pœnitentiæ injungendas, ut ei exprimentur numerus, ac species peccati; his enim cognitis sufficienter potest rectè judicare. Quapropter per Concilium Tridentinum, à quo considerata fuit hæc necessitas rectè judicandi, non fuerunt propositæ circumstantiæ aggravantes, sed tantum mutantes speciem; quia harum manifestatio cum numero criminum commissorum satis instructum Sacerdotem ad judicandum rectè super ipsis, & ad injungendas pœnitentiis, aliæ remedia opportuna. Ita Collegium Salmanticens. *d. tr. 6. cap. 8. num. 29.*

Ad Tertium hæc eadem responsio applicanda est pro intelligentia *cap. Omnis utriusque sexus* ibi allegati. Negant autem DD. quòd retentis sub silentio circumstantiis aggravantibus non possit Confessarius vicem periti Medici exercere; nam quidditas peccati, qui medendum est, consistit in specie, & in numero; & his cognitis facile est intelligere, quale consilium dandum sit pœnitenti, & quale remedium ei applicandum. Ita *Matr. d. disp. 5. num. 484.*

Ad Quartum, in quo allata sunt quatuor exempla circumstantiarum aggravantium de necessitate in confessione exprimendarum: respondent generaliter, & particulariter: Generalis responsio est, quòd non omnes Doctores sentiunt, eas de necessitate esse explicandas; ut notat Diana Coordinatus *d. tom. 1. tr. 7. resolut. 163. resolut. 164. & resolut. 165.* ubi studiosus poterit eos videre. Particularis responsio est, quòd insecus in primo gradu utriusque lineæ rectæ, ac transversalis est specificè manifestandum, quia offendit duo præcepta; primum de pietate inter consanguineos servanda; secundum de reverentia inter genitores, ac genitos; nec non fratres, ac sorores ex jure nature: proventiente non violanda; ut demonstrat Sanchez de *Matr. lib. 7. disp. 52. n. 11.* & Em. Card. de Lugo *d. disp. 15. sess. 3. num. 148. & sess. 6. num. 314.* Ad secundum exemplum de occasione plurium uno, & eodem actu respondetur, idèò circumstantiam pluralitatis intersectorum esse exprimendam, quia facit plura numero peccata; & jam ex Concil. Trident. ostensum est, numerum peccatorum esse manifestan-

dum de Præcepto. Ita *Matr. d. disp. 5. numer. 485. Vers. Ad secundam probationem.* Ad tertium exemplum de infamante proximo, ei falsum crimen inveniendū, & verum, sed occultum propalandum; utrumque confiteri debet, non tamquam circumstantias aggravantes, sed tamquam duo peccata specie diversa; prima enim infamatio est contra veritatem; secunda contra justitiam. Ita Marchantius de *Sacramen. in Q. Pastoral. tr. 5. cap. 3. dub. 4.* Et melius Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 11. art. 6. numer. 219.* & *supra. cò* quia sunt duæ malitiæ distinctæ in dictis duobus contumeliis, quæ faciunt duo diversa peccata; tamquam offensiva duas diversas virtutes. Ad quartum exemplum de fractione jejunii per comestione carniū, & piscium pariter respondent, esse duo peccata, quia lædunt duo præcepta, unum de non comedendis carnibus in die jejunii, ad quod servandum tenetur etiam minor 21. annis; alterum de jejuniando cum unica comestione in die, ad quod non sunt obligati, qui ad annos 21. non pervenerint. Marchantius *d. cap. 3. dub. 2. Bonacina de Sacram. Pœnit. disp. 5. q. 5. p. 2. §. 3. Tertia Diffic. num. 5.* & *Matr. d. disp. 5. dub. 485. in fine.*

Ad Quintum, Negant assumptum: siquidem factus est Confessario, ut rectè judicet de peccato, si audiat ejus quidditatem, quæ consistit in specie, ac numero, etsi taceatur cæteræ circumstantiæ aggravantes. Collegium Salmanticens. *d. tr. 6. cap. 8. numer. 29.* ubi ait, hanc fuisse sententiam Concilii Tridentini.

Ad Sextum respondent, Intensionem voluntatis in peccato, vel extensionem operis peccaminosi esse accidentia, quæ non multiplicant speciem, vel numerum ex seipsis; idèò neutra est confitenda de necessitate, nisi quando ex diversitate objectorum, vel ex interruptione, & reassumptione voluntatis peccandi causetur vel diversitas specierum, vel multiplicatio numeri peccatorum. *Matr. d. disp. 5. num. 487.*

Ad Septimum respondent. Ritale Romanum per circumstantias peccatorum explicatu necessarias intelligere circumstantias mutantes speciem, de quibus locutum est Concilium Tridentinum; & ad summum loqui ibi Ritale directivè, non præceptivè, ad hoc ut Parochus melius informetur de conscientia pœnitentis. Collegium Salmanticens. *d. tr. 6. cap. 8. num. 29.*

Ad Octavum dicunt, non posse quidem pœnitentem mentiri, vel eludere Confessarium interrogantem de circumstantiis aggravantibus; sed non esse ei illicitum respondere; non teneor ulterius dicere: da mihi pœnitentiam, quia falsi mihi est, expressivè speciem, & numerum meum culpæ. Ita *Matr. d. disp. 5. sub num. 489. in fine.* Sed hodie hæc responsio est damnata ab Innocentio XI. in *Propositi. 58.*

Ad ultimum respondent; posse quidem Ecclesiam reservare casus ob aliquam circumstantiam aggravantem, & adungere censuram, ut in exemplis adductis de hac Diocesi Patavina; sed in prædictis casibus circumstantia est explicanda non tamquam circumstantia aggravans, sed ob reservationem, seu censuram ei infligendam, quæ causat hanc obligationem; & prædicando ab illa, non erit obligatio propalandi circumstantiam tantum aggravantem. Ita idem *Matr. d. num. 489.* & *Reginaldus lib. 6. num. 137.* ubi exemplificat, si in aliqua Diocesi furtum certæ quantitatis sit reservatum; tunc enim pœnitens debet exprimere quantitatem; ac etiam si offenderet Romipetam, esset obligatus hanc circumstantiam exprimere ob excommunicationem reservatam Summo Pontifici in Bulla Cœnæ. His responsionibus videntur evacuata argumenta; & omnino sublata fundamenta opinionis affirmantis, circum-

circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem peccati esse de necessitate in Confessione manifestandas; & remanere inconcussam opinionem contrariam, quod scilicet opus sit, tantummodo manifestare circumstantias mutantes speciem.

Cæterum sectatores primæ opinionis non acquiescunt hucusque dictis, contra illos, imò & ipsi conantur evacuare fundamenta opinionis negativæ supra relata; & iidem respondent hoc pacto.

Ad Primum: Licet non confit de lege expressa præcipiente manifestationem circumstantiarum aggravantium, consistere de lege tacita; quatenus præcepit Concilium Tridentinum d. sess. 14. cap. 5. talem debere esse Confessionem peccatorum, ut ex ea Sacerdos possit rectè iudicare circa qualitatem criminum; & pœnitentias adæquatas pro iis injungere; & tale iudicium rectum facere non potest, ignoratis circumstantiis notabiliter aggravantibus. Ignoratis eadem est virtus tacti, & expressi. *l. Cum quid. ff. si cert. per. Barbosa Axiom. 218. num. 1. ubi DD. Et magis est attendenda mens legis, quam verba. l. Scire leges. ff. de Legibus. l. Non aliter. ff. de Legat. 3. Surdus Decis. XXXV. num. 14. Genuentis in Prædicabil. Eccles. q. 144. num. 3. Unde et Philosophus lib. 8. Physic. cap. 3. quod legem quærere, ubi est ratio naturalis, est infirmitas intellectus; quia naturalis ratio habet vim, & robur legis. *l. Cum ratio. ff. de bonis damnat.* In præsentem autem thesi ratio naturalis dicitur, ut manifestentur circumstantiæ notabiliter aggravantes, ad hoc, ut fiat rectum iudicium à Confessario, ut monuit Concilium ubi supra.*

Ad Secundum respondent, Regulam, quod de uno conceditur, de alio denegatur, limitari, quando ex ea sequeretur absurdum, quod semper debet evitari. *l. Nam absurdum. ff. De bonis liber. Thomassetus in Florib. Leg. regula 274.* At occultando circumstantias notabiliter aggravantes sequeretur magnum absurdum circa iudicium Confessarii, ut probatum est supra. Ergo dicta regula nihil valet.

Ad Tertium dicunt, Non currere paritatem de definitione materiæ Eucharistiæ cum definitione circumstantiarum in Confessione Sacramentali; nam in illa, cum panis triticus sit singularis materia, non admittitur panis aliorum granorum: at in circumstantiis, cum hæc plures sint, & quæ notabiliter aggravant, necessariæ sint ad debitam informationem Confessarii circa qualitatem, & quantitatem peccati, sunt inclusæ in definitione facta à Concilio Tridentino, requirente expressionem numericam peccatorum; quæ quidem peccata ex notabili circumstantia ita gravia esse possunt, ut habeant malitiam æquivalentem pluribus numero peccatis, quod aptè constat in furto mille aureorum præponderante sex, ac octo furta aureorum centum pro singulo furto. Idcirco sicut ad integritatem Confessionis ex doctrina Concilii Tridentini necessaria est expressio circumstantiarum mutantium speciem, ac numericæ quantitatis criminum, ut eorum malitia à Sacerdote bene cognoscatur; ita ex eadem doctrina colligitur, exprimentas esse circumstantias notabiliter aggravantes, ad habendam integram cognitionem prædictæ malitiæ; ut fufus disputando tenet Gonetus in *Clypeo Theolog. Thomij. tom. 5. disp. 10. num. 54.* ubi allegat auctoritatem Catechismi Romani, *De Sacram. Pœnit. sess. 47.* in qua dicitur: *Neque verò solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstantiis ex prævitæ valde augent, vel minuunt.* Et concluditur in fine: *Quæ verò prævitæ rei magnopere non augent, sine crimine committi possunt.* Unde deducitur, quod quæ notabiliter eam augent, sine crimine non possunt omitti.

Ad Quartum concedunt, ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ non esse manifestandum in Confessione, nisi quod habet rationem peccati. Sed contendunt, & sustinent, circumstantias notabiliter aggravantes habere rationem peccati, quia crescere faciunt eius malitiam, in qua ratio ipsius peccati residet, & cuius cognitio necessaria est Confessario ad eam pœnitentiam, ac remediis opportunis corrigendam, iuxta institutionem huius Sacramenti. Gonet d. disp. 10. num. 62.

Ad Quintum, quod circumstantiæ notabiliter aggravantes non augent peccatum specificè, aut numericè formaliter, concedunt; virtualiter, & æquivalenter, negant; unum enim peccatum notabiliter grave ex aliqua circumstantia æquivaleret moraliter multis numero distinctis; idè non satis explicatur, nisi manifestetur illa circumstantia. Gonet *ibid. num. 60.*

Ad Sextum, negant consequentiam; quia etsi Sacramentum Pœnitentiæ requirit accusationem, non autem excusationem peccatoris; iste tamen debet cum sinceritate loqui; & manifestare etiam circumstantias minuentes, & alleviantes peccatum, quando verè interfuerunt, ad hoc ut Confessarius iudicet iuxta mensuram delicti, & satisfactionem congruam, non autem excedentem imponat. Gonet d. disp. 10. num. 64. ubi exemplificat de muliere, quæ consentit in fornicationem ex metu mortis; de illo, qui peccavit per ignorantiam; vel ex aliqua vehementi vera tentatione.

Ad Septimum, negant assertam difficultatem proplandi intensionem, vel durationem actus mali, vel alia media, quando sunt gravia, & extra communem utrumque; qui enim non erubuit facere, non debet erubescere confiteri, si veniam consequi desiderat. *cap. Quem pœnitent. de Pœnit. disp. 1.* idè etiam turpitudines, quæ notabiliter augent malitiam peccati, supponendæ. Gonet *ubi supra num. 66.*

Ad Octavum subiungunt, quod Christus Dominus præcipiendo Confessionem peccatorum, virtutem præcepit, ut non tantum eorum species, ac numerum, sed etiam circumstantias notabiliter aggravantes penitentes considerent; quod deprentur à forma iudicii, qua instituitur Sacramentum Pœnitentiæ; non enim Iudex Sacerdos potest rectè iudicare, atque congruas pœnitentias injungere, nisi sciat easdem circumstantias. Scotus in 4. disp. 18. q. 2. art. 4. col. 10.

Ad Ultimam circa Auctoritatem doctrinæ Angelici Doctoris, aliqui dicunt, non esse tanti ponderis, quia sic sensit, cum esset junior, & scriberet super Magistris Sententiarum libros; at hoc non posuit factus senior, quando Summam composuit; imò si eam complevisset, sententiam mutasset, ait Scotus in 4. disp. 18. quest. 2. art. 4. Porro Gonetus d. disp. 10. num. 58. respondet, quod tempore D. Thomæ plures reputabant, illas esse circumstantias notabiliter aggravantes; quæ in rei veritate non erant tales, puta si peccatum fuisset commissum in die festo, vel si peccator habuisset aliquem gradum dignitatis, vel superioritatis, & hæc dicebant, esse necessariò exprimentas; verum quia notabiliter non aggravabant, & erant circumstantiæ leves, de his loquens, ac intelligens S. Doctor, scripsit, probabilis fore, eas non esse de necessitate in Confessione manifestandas.

Concludunt igitur, non subsistere fundamenta opinionum, quod circumstantiæ notabiliter aggravantes non sint in Confessione exprimentas; & verius, ac probabilius esse, quod prædictæ circumstantiæ, quando nimis augent malitiam peccati, & illud notabiliter aggravant, etsi intra eandem speciem, sunt de necessitate præfendendas Confessario pro integritate confessionis.

Quid decidendum? Ad nos hanc celebrem quaestionem

tionem decidere, non spectat; cum tot, & tanti gravissimi, ac piissimi Doctores, scripserint proutque opinione. Nihilominus pro concordia, eorundem, & ne studiosus Lector remaneat perplexus, attendenda erunt sequentia notanda.

Notandum Primum. Opinio tenens, circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem peccati esse aperiendas in Confessione, est verior, ac probabilior, ut ait Suarez de Pœnit. disp. 22. sect. 3. num. 5. Abelly part. 2. tract. 1. cap. 5. sect. 14. in fin. illamque vocat communem, & certam DD. apud Magistrum d. disp. 5. num. 480. alique certissimam apud Collegium Salmanticensem. d. tract. 6. cap. 8. num. 16. & apud Dianam Coordinatam tom. 1. tract. 7. resol. 1. Quæ in veteri est part. 1. tract. 7. resol. 1. & per consequens est opinio tutior, quia magis consistit integritati Confessionis Sacramentalis, ac eius validitati, à qua pendet absolutio, quia magis resistit Divinæ gratiæ, & saluti animarum. Sequitur ex hoc, quod opinio contraria, est probabilis speculative, tamquam minus tuta non possit hisce temporibus præferri, stante Propositione damnata ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. in prima, quæ sic afferbat: *Non est illicitum in Sacramento conferendis sequi opinionem probabilis de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Quæ condemnatione attendita, circumstantias notabiliter aggravantes nunc de necessitate esse confendendas advertit Gaspar Ivenin in Commentar. Historic. Domatice de Sacram. Dissert. 6. Quest. 5. cap. 8. art. 1.

Notandum Secundum. Concorditer docent Auctores utriusque opinionis, esse semper confendum circumstantiam, quæ intra eandem speciem aggravat in infinitum, idèst quando ipsa facit, ut peccatum de veniali transeat in mortale, retenta sua prima specie. Ita Magistrus disp. 5. n. 479. Gobatus tract. 6. num. 372. & Collegium Salmanticensem. d. tract. 6. cap. 8. num. 10. Circumstantias autem, quæ faciunt culpam venialem transire in mortalem, dixi esse sex in his *Evotematib. cap. 1. num. 5.* & sunt sequentes, quas in gratiam lectoris libens transcribo. Prima est Circumstantia finis ultimi, ut si quis mendacium dicat, ut committat adulterium, si fuerit calumniosus socio, ad hoc ut ille blasphemet. Secunda est contemptus, quando quis leve peccatum committit, sed cum contemptu Superioris, à quo actio illa, etsi levis, ob bonum publicum fuit prohibita, ut servare silentium certis horis; ne quis alloquatur mulieres in Ecclesia; vel accedat ad talem domum, ne aliquis ingrediatur cubiculum alterius Religiosi, de quibus Bordonus *Var. resol. part. 2. Resol. 58. num. 46.* Summa Diana *Verb. Lex. num. 33.*

Contemptus enim formalis, aut legis, aut Superioris, etsi de re levi, est semper culpa mortalis. S. Thom. 2. 2. quest. 86. ad 3. & latè de hoc Baldellus *Theol. Moral. lib. 5. disp. 24. per totam.* Tertia circumstantia est periculum, quando quis non abstinet à peccato veniali, in quo tamen est probabile periculum labendi in mortale. Sanchez in *Dialog. lib. 1. c. 8. num. 4.* Quarta est conscientia erronea, ut si quis committat veniale credens esse mortale. Quinta est scandali, dum aliquis verba otiosa dicit, sciens, alium esse eis lapsurum in mortale. Sexta est ex intentione plurius simul multa venialia, ut qui modica furta pluries facit, vel sæpe comedit aliquid parum in die jejunii. Summa Diana *V. Futurum num. 7. c. V. Materie levis. num. 6.* His addenda est Septima circumstantia iniustæ damnificationis, ut cum quis furatur acum Sutori, non habenti alium, quo suat, & sibi victum comparat. Bonacina tom. 2. de *Resol. disp. 2. quest. 8. punct. 1. num. 8.* ac etiam Oñiva, quando peccatum fit in Ecclesia, polluens illam. Reginaldus *lib. 14. num. 41.* in his enim omnibus, quod veniale erat, fit mortale ex prædictis circumstantiis, ut docent Thom. Tamburin. in *Deca-*

log. lib. 1. cap. 1. §. 4. Sanchez ibid. lib. 1. cap. 5. à num. 7. & seqq. ac Layman ibid. 1. tract. 3. cap. 5. & cap. 7. Ideoque ipsæ circumstantiæ, etsi aggravantes tantum, sunt in confessione exprimentas, quia aggravant in infinitum.

Notandum Tertium. Quando circumstantia aggravans invehit reservationem casus, vel censuram, aperienda est in confessione. Ita Reginaldus *lib. 6. num. 137.* Magistrus d. disp. 5. num. 480. & 489. & Collegium Salmanticensem. d. tract. 6. cap. 8. num. 12. Hinc si Episcopus sibi reservet summam quantitatis decem Juliorum; qui tantam summam furatus fuerit, non bene consistetur, dicendo, furtum feci; sed debet exprimere circumstantiam quantitatis, ob Episcopalem reservationem. Item si quis incendit domum, vel fruges alienas, non sufficit, si consistetur, se damnicasse proximum in bonis, sed debet exprimere circumstantiam incendi, & ignis appositus ob annexam excommunicationem. *cap. Tua nos. De Sent. excommuni. Vel si cum fractura ostii aliquis surripuerit suppellectilia sacra de Ecclesia, factis non est dicere, rem sacram surripui; sed tenetur manifestare circumstantias fracturæ, quia huic annexa est excommunicatio. cap. Conquesti. cod. tit. Eminent. Cardinal. Toletus *Summ. libr. 1. cap. 35. num. 3. & 6.* Aut etiam si quis percussit, ac vulneraverit Romipetam, ut dictum est supra, obligatus est ferri circumstantiam hominis Romam versus, devotionis causa, propterantis, & non sufficit, se accusare generali locutione, hominem offendi, seu vulneravi, nam huic peccato annexa est excommunicatio Papalis. Reginaldus *d. lib. 6. sub num. 137.**

Notandum Quartum. Quotiescumque Confessarius interrogat penitentem de aliqua circumstantia notabiliter aggravante, quam putat necessariam scire, vel pro restitutione à penitente facienda, vel pro eius dispositione ad emendationem, ut consuetudine in peccando relevanda, remediisve opportunis eidem penitenti præscribendis, aut ex alia legitima causa, ac prudenti motivo, tenetur penitens requiritam circumstantiam cum sinceritate eidem Confessario manifestare; ut docent Eminent. Cardin. de Lugo d. disp. 16. num. 123. Tamburin. *d. expet. Confess. lib. 2. cap. 8. §. 1. num. 1.* & Gobatus d. tract. 6. num. 379. rejecta contraria opinione Joan. Saneii in *Selct. disp. 9. num. 6.* & aliorum, quem condemnavit Innocentius XI. tamquam temerariam, ac scandalosam, & est *Proposit. LVIII.* quæ afferbat, *Non tenetur Confessario interroganti fateari peccati alicuius consuetudinem;* e qua plura distulit Cardenas in *Crist. Theolog. Dissert. 37. cap. 1. & seqq.*

Notandum Quintum. Circumstantiæ aggravantes leviter tantum, & quæ non sunt contra communem usum peccandi, aut de peccatis, quæ proximo non nocent, & similes, non sunt necessariæ in confessione dicendæ, ne confessio reddatur nimis onerosa; aut scrupuli in mente penitentium generentur. Reginaldus *d. lib. 6. num. 125.* & Gobatus *cod. tract. 6. num. 371.* ubi exemplificat de eo, qui se inebriavit die jejunii, aut die Veneris, aut postridie sacre Communionis, aut asperxit rem turpem uno, vel utroque oculo; vel furatus est dextera, aut sinistra manu; ante, sive post prandium; & de his similibus, de quibus supra num. 2.

Hæc quinque Notanda si confessarii non indignati fuerint observare, depreudent, non absque ratione à tot, ac tantis Theologis scriptum fuisse, circumstantias notabiliter aggravantes esse de necessitate confendendas, quia expressæ in primis quatuor notandis prædictis, impunè omitti non possunt. Ac vice versa temperantibus opinionem contrariam de circumstantiis aggravantibus tantum non manifestandis, ut ea in practico locum habeat, quando leviter tantum gravant; & sunt extra casus in hisdem notandis expositos.